

Si igitur, aut hæc aut illa, aut ambæ jam allatæ ἐπιλύσεως significationes ab Apostolò intentæ fuerunt, nihil ex hõc locò, quò suam sententiam fulciant, haurire poterunt Reformati. Verumenimverò simus liberales, atque ipsis largiamur, vocem ἐπιλύσεως hîc notare *veri sensus indicationem*; nondum inde colligi potest, Scripturam esse sui ipsius interpretem; sed potiùs contrarium. Etenim, quando Apostolus scribit, *nullam Prophetiam Scripturæ esse propriæ Interpretationis*, vox *propriæ* non respicit Interpretes; de iis enim nulla fit mentio, nec ullibi ista vox in antecedentibus occurrit: sed debet referri ad Prophetiam, aut ad Prophetas, atque adeò sensus erit, *nullam Prophetiam Scripturæ*, aut (si per Prophetiam Scripturæ, ipsa Scriptura intelligatur) Scripturam, *esse per seipsam, aut à Prophetis interpretandam*: quod sanè cum ipsorum sententiâ adversâ fronte pugnat. Quamvis huic hujus loci sensui videatur favere Interpretatio Syriaca: *Illud imprimis scientes, quòd omnis Prophetia suæ solutio Scripturæ non sit.* Et clariùs adhuc Arabica. *Hoc primum scientes, quòd omnis Prophetia Scripturæ non solvat ipsamet sensum sui ipsius.* At verò, quamvis iterum concedamus, vocem *propriæ* respicere Interpretes, atque etiam Apostolum hõc in locò docere velle, Scripturas non debere exponi ex propriò Interpretis ingeniò, sed secundùm Spiritus sancti dictamen: nondum tamen inde, quod illi contendunt, conficitur, *Scripturam nempe esse sui ipsius interpretem.* Nam, præterquam quòd hîc nulla sit consequentia, nec ex iis, quæ de ordinariâ ex Scripturâ petendâ Spiritus sancti inspiratione suprâ ex Chamierò attulimus, probetur: potest etiam ille, qui per veram Philosophiam Dei verbum interpretatur, non ex propriò ingeniò, & privatò sensu, sed divini Spiritus dictamine illud explicare, optimò jure dici, ut ex cap. 5. & 6. patet: atque adeò hinc aliquod nostræ Sententiæ probationi lumen accersi. At de his plus satis.

Reliqua, quæ in medium adducuntur, Scripturæ loca præterimus, utpote tam exigui ponderis, ut quilibet eorum levitatem facillimè deprehendere possit; qualia sunt Joan. 10. vers. 34. Ubi Christus, ut se contra Judæos defendat, locum ex V. Testamentò adfert: Et Actor. 17. vers. 11. Ubi Beræenses dicuntur scrutati Scripturas, an ita se haberent, quæ Paulus prædicabat. Et Actor. 9. v. 22. Ubi Paulus dicitur (ex Bezæ versione) *collatis testimoniis demonstrans Judæos confudisse.* Et id genus alia.